Athenogenis cõstantia. Includitur in custodia. Confortat suos discipulos.

itam in te aggrauet. Statim vero fuit Sanctus accersitus ad Præsidem, eiquê dictum est: Ecce adest, qui quæritur, Athenogenes, & multum queritur de vestra claritate. Statim autem iussit Præses sanctum coniici in custodiam, vbi etiam erant eius fratres inclusi propter Deum. Cum eos autem vidisset sanctus, valde est lætatus, & dixit eis: Pax vobis impleatur, & Dei gratia sit vobiscum, filioli mei: Quoniam Deo grati effecti estis, ipse vos vocauit ad cœleste prandium. Estote ergo viri fortes, & ne extimescatis minas tyranni. Dei enim gratia cras consummabimini, & eritis cum Angelis choros ducentes in paradiso, perpetuo exultantes, & assidue Dominum cœlestem glorificantes.

Decem eius discipuli flagellãtur. Decollantur.

SEQVENTI autem die sedens tyrannus in tribunali, iussit ad se adduci sanctum Athenogenem & decem eius discipulos, & dicit eis: Sacrificate diis ex edicto Imperatoris. Sin autem non parueritis, cogetis me vos variis tormentis affectos de medio tollere, vt eos, qui ante vos perstiterunt in hac mala opinione, & mali male perierunt. Respondens vero sanctus Athenogenes, dixit Tyranno: Quos tu quidem dixisti periisse, non perierunt, sed sunt in cœlo, choros ducentes cum Angelis. Præses dixit: Ne mihi laborum molestiam exhibeas, Athenogenes, sed breuiter cum tuo conuentu mihi crede, & diis sacrifica, ne male pereatis. Respondens autem sanctus Athenogenes, dixit Tyranno: Canis iniique & impudentissime, non terres nos tuis minis. Fac quod volueris. Parati enim sumus omnia pati propter Christum. Tunc iratus Præses, iussit decem huius sancti suspensos cæd discipulos. Sancti autem dicebant, cum torquerentur: Nos ad flagella sumus parati propter Christum immortalem, Non te negamus, Domine. Cum autem magis magisque vidisset Tyrannus constantem & immutabilem, & quæ nulla mouebatur pœnitentia, tolerantiam, iussit eos ensi subiici. Consummatique sunt sancti in bona confessione, & gloriose venerunt in paradisum. IV.

Athenogenes cęditur.

ACCERSITO autem sancto Athenogene, ei dixit Tyrannus: Vbi est Christus tuus, quem dicis Deum? Cur non tuos discipulos liberauit è meis manibus? Iussit vero illum quoque ligno pendentem cædi. Pendens autem sanctus, dicebat: Gloria tibi Deus, quod me dignum censueris, qui pro tuo torquerer nomine. Dicit autem Præses: Cur non te quoque eripit Deus tuus è meis manibus? Martyr vero dixit: Et me liberat, & me liberabit, ô inique, ab improbo tuo artificio. Iussit autem Præses eum de ligno deponi, atque verberari in cauernis laterum. Sanctus vero Christi athleta cum grauiter torqueretur, dicebat: In te, Domine, speraui: saluum me fac in tua misericordia. Facta est autem vox Dei ad eũ, dicens: Confide, electe mi, & noli timere. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui te custodio. Quicunque autem hanc vocem audierunt, contremuerunt. Qui vero eum torquebant lictores, obtorpuerunt, non valentes moueri. Philippus autem assessor Principis, dixit: Non dixi tibi, Præses, eos esse magos? Hunc quoque à nobis cito tolle de medio. Tunc iussit Præses eum quoque ensi subiici. Sanctus autem Martyr rogauit Præsidem, dicens: Rogo te, ô Præses, iube me abduci in monasterium, & illic consummari. Præses autem iussit sic fieri. V.

Diuinitus confirmatur. Gladio percuti iubetur.

CVM vero duceretur sanctus, prompto & alacri animo sic canebat: Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit. Postquam autem appropinquauit monasterio, occurrit ei cerua, & adorauit ad eius pedes. Dixit vero ei sanctus: Priuata es fratribus: ecce priuaris eo quoque, qui te aluit. Concedat Deus omnium sæculorum, vt neque tu, neque semen tuum veniatis in potestatem venatorum: sed sit semen tuum fetens genus suum in memoriam nostram, vt id consummetur ad Dei gloriam. Flens vero cerua, cecidit ad eius pedes. Cum eam autem signasset sanctus martyr, dixit ei: Vade in pace. Cum vero appropinquasset monasterio, orauit dicens: Domine Deus meus, suscipe in pace animã meam, & dignare me esse cum meis fratribus in omnia sæcula, vt glorificemus sanctum nomen tuum. Da autem Domine Deus meus ei, qui nostram peragent commemorationem, perpetuam tuam benedictionem: & omnibus, qui te inuocabunt propter me, Domine, da gratiam: & siue in casu inuenti fuerint, siue in magna necessitate, siue in terribili iudicio, aut in malis somniis, & inuocauerint nomen sanctum tuum in nomine famuli tui, præbe eis Domine tuam misericordiam, & imple eorum petitiones. Eo autem orante, fit vox Dei ad eum dicens, Gaudeas mi athleta Athenogenes, mi electe: hodie mecum eris in paradiso cum tuis discipulis. De gratia vero, quam à me petiisti, ecce dedi tibi tuas petitiones. Quicunque me inuocauerit per nomen tuum, & in qua domo lecta fuerit tui commemoratio, liberabitur ab omni afflictione & necessitate, & eius peccatorum inducam obliuionem. Vos autem, electi mei, estis defensores omnium viduarum, orphanorum nutrimentum, hospitum refugium, prouisio pauperum, medici ægrotorum, fugatores malorum spirituum. Cum vero ad eum facta esset vox Domini, ense fuit percussus sanctus Athenogenes: Et sic suum spiritum tradidit in multa pace. VI.

Psalm. 93. Orat pro sui memoriam habiturus. Plectitur capite.

PASSI sunt autem hi sancti martyrium in Sebastea, tempore Diocletiani Imperatoris. Depositi vero fuerunt in Pedachthone. Peragitur autem memoria sancti Athenogenis, & eorum qui fuerunt cum ipso, Martyrum, mensis Iulii xvij. iuxta Romanorum supputationem. Cerua autem accedit in memoria sanctorum martyrum, offerens Deo donum hinnulum. Et cum legitur sanctum Enangelium, eum offert videntibus omnibus, oratque sua flectens genua, & relicto suo hinnulo, abit in pace in locum suum. Consumitur vero hinnulus in gloriam Dei & in honorem sanctorum martyrum. Decertarunt autem ii sancti imperante Diocletiano, in nos autem regnante Domino nostro Iesu Christo. Cui gloria & potentia in sæcula sæculorum, Amen. VII.

Insigne miraculum.

Huius Martyris reliquias Gregorius maioris Armeniæ Episcopus collocauit in finibus Armeniæ in Ecclesia, quam euerso fano Herculi ibidem extruxit Tiridate rege Armeniæ facto Christiano. Vide Baron. ann 311.

AN. 120. *PASSIO SS. SYMPHOROSÆ ET SEPTEM FILIORVM, EX BONÆ FIDEI CODICIBVS, LITTERIS LONGOBARDICIS SCRIPTIS, EXscripta, ex Africano desumpta, & Romæ apud Franciscum Zannettum anno M. D. LXXXVIII. impressa.*

IVLII 18.

EVSEBIVS historiographus memorat Africanum pene omnium de vrbe regia, atque de tota Italia Christi martyrum res gestas conscripsisse. Inter quos B. Symphorosam viduam dixit apud Tiburtinam vrbem cum septem filiis suis vna ferme die ab Hadriano Principe hoc ordine interfectam.

CVM fabricasset Hadrianus palatium, & id dedicare vellet ritu illo nefario, cœpissetque sacrificiis, Idolorum ac Dæmonum, qui in Idolis habitant, flagitare responsa: respondetunt, & dixerunt, Symphorosa vidua cum septem filiis suis laniat nos, quotidie inuocando Deum suum. Ista itaque si cum filiis suis sacrificauerit, promittimus nos omnia præstare, quæ petitis. I.

TVNC Hadrianus iussit eam teneri cum [a] filiis, & blandis eos sermonibus hortabatur, vt ad sacrificandum Idolis consentirent: cui [b] B. Symphorosa dixit, Vir meus Getulius (*alias Zoticus*) cum fratre suo Amatio, Tribuni tui, cum sint ambo pro Christi nomine passi diuersa supplicia, ne Idolis consentirent ad immolandum, quasi boni athletæ, Dæmones tuos moriendo vicerunt. Elegerunt enim magis decollari, quam vinci, passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta, inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus & gloriam sempiternam: inter quos nunc gradientes, & trophæa passionum suarum dantes, cum æterno Rege vita æterna fruuntur in cœlis. II.

a De his vide X. Iunii. *b* Respondet S. Symphorosa Imperatori.

HADRIA-

III. HADRIANVS Imperator dixit ad S. Symphorosam, Aut cum filiis tuis sacrifica Diis omnipotentibus, aut te ipsam cum filiis tuis sacrificari faciam. B. Symphorosa respondit; Et vnde mihi tantum boni, vt ego merear cum filiis meis offerri hostia Deo? Hadrianus Imperator dixit; Ego te Diis meis sacrificari faciam; B. Symphorosa respondit; Dii tui me in sacrificium accipere non possunt; sed si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos Dæmones tuos magis exuro. Hadrianus Imperator dixit. Elige tibi vnum ex duobus, aut sacrifica Diis meis, aut malo interiru finieris. ● Altera eius responsio. Iterum minatur Hadrianus

IV. [a] B. Symphorosa respondit, Tu existimas quod possit animus meus aliquo tenore mutari, cum ego desiderem cum viro meo Zotico (*alias Getulio*) quem pro Christi nomine interfecisti, requiescere? Tunc [b] Hadrianus Imp. iussit eam duci ad fanum Herculis, & ibi primo alapis cædi & post hæc capillis suspendi; sed cum nulla ratione, nulloq; timore posset eam à bono proposito renouare, iussit eam alligato ad collum ingenti saxo in flumen præcipitari; cuius [c] corpus colligens frater eius Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in suburbana eiusdem ciuitatis sepeliuit. [a] Contemnitur. [b] Symphorosa torquetur, & submergitur. [c] Sepelitur ab Eugenio fratre suo.

V. ALIA vero die iussit Hadrianus Imp. simul omnes septem filios eius sibi præsentari; quos cum ad sacrificandum Idolis prouocaret, & nullo pacto eos videret suis minis atque terroribus consentire, iussit circa Herculis templum septem stipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi, & primum Crescentem præcepit in gutture transfigi; secundum Iulianum in pectore pungi: tertium Nemesium in corde percuti; quartum Primitiuum in vmbilico vulnerari; quintum Iustinum auersum per dorsum perforari gladio; sextum Starteum in latere vulnerari; septimum vero Eugenium à summo vsque deorsum findi. Filij sistuntur Occidũtur. Crescens. Iulianus Nemesius. Primitiuus. Iustinus. Starteus, Eugenius.

VI. ALTERA vero die veniens Hadrianus Imperator ad fanum Herculis, iussit corpora eorum simul auferri, & proici in foueam altam; & imposuerunt Pontifices nomen loco illi, Ad septem [a] Biothanatos. Post hæc quieuit persecutio anno vno, & mensibus sex; in quo spatio omnium martyrum honorata sunt sancta corpora, & constructis tumulis condita cum omni diligentia: quorum nomina descriptæ sunt in libro vitæ. Natalis vero sanctorum martyrum Christi Beatæ scilicet Symphorosæ, & septem filiorum eius, Crescentis, Iuliani, Nemesii, Iustini, Startei, & Eugenii celebratur sub die XV. Calend. Aug. Eorum corpora requiescunt in via Tiburtina, milliario ab vrbe octauo (*alias nono*) regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *In aliquibus exemplaribus additum est.* Olim requieuerunt via Tiburtina &c. Nunc autem auxiliante Domino requiescunt in vrbe Roma in Basilica B. Archangeli Michaëlis, regnante &c. Corpora in foueã proiiciuntur. [a] Id est, non naturali morte extinctos. A fidelibus corpora humantur.

VITA S. PHILASTRII EPISCOPI BRIXIENSIS, PER S. GAVDENTIVM EIVS SVCCESSOREM CONSCRIPTA. HABETVR IN LIBRO vetusto sacrarii ecclesiæ Brixiensis, estque sermo habitus in anniversario die solennitatis illius. AN. 380.

I. CHARISSIMI, nos hodie memores promissionum Christi, honorem debitum beato patri nostro Philastrio, tanquam vere viuenti deferimus. Est enim Patriarcharum filius & socius in fide, & æmulator conuersationis: quorum synceritati simillimus, æqualem Christum viuere Deo pronunciat, incredulitatem Sadducæorum valida perscriptione refellens, dum dicit illum, qui nuncupatur Deus Abrahæ & Isaac & Iacob non esse Deum mortuorum, sed viuorum. Omnes, enim, inquit, illi viuunt. Et certe scriptura diuina mortuos asserit eos fuisse in Christo, iuxta conditionem carnis, quamuis in senecta bona prædixerat esse sepultos, sicut extantia demonstrant sepulchra. IVLII 18. *Matth. 22.*

II. QVOD igitur beato Petro licuit audenter dicere de patriarcha Dauid, quia mortuus fuerit & sepultus, cum sciret eum prophetica fide vitam præsumpsisse post mortem, quippe dixerat: Viuet anima mea, & laudabit te, & cætera huiusmodi: Liceat & nobis audenter dicere ad vos de filio Patriarchæ legitimo, summoque sacerdote Philastrio, quoniam mortuus quidem est & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos: sed vita eius in Christo est apud Deum. Itaque cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & iste cum ipso apparebit in gloria. Legitimum vero eum esse filium beatissimi Abrahæ, fidei atque operum testantur exempla. Credens enim Deo fide plenissima, exiit & ipse de terra sua, & de cognatione sua & de domo patris sui: & sequebatur verbum Dei, ab omnibus sæculi impedimentis exutus. Ac propterea cito assequi meruit, quod sequi studuit expeditus. *Actor 2.* *Psalm. 118.* *Colos. 3.* Relinquit omnia S. Philastrius.

III. EXERCENS namque continentiam singularem, peruigil in scripturis sanctis, Dei sapientiam concupiuit, portionem suam Christum reputans Dominum: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ cœlestis absconditi. Quibus cum repleuisset desiderium suum desideriorum cœlestium vir, & per impositionem manus presbyterii, dispensator fuisset diuini sermonis electus, negligere gratiam Dei omnino passus non est. Sed circumiens vniuersum pene ambitum Romani orbis, Dominicum prædicauit verbum, Pauli Apostoli idoneus imitator existens. Sancto enim spiritu plenus, non solum contra Gentiles atque Iudæos, verum etiam contra hæreses omnes, & maxime contra furentem eo tempore Arrianam perfidiam, tanto fidei vigore pugnauit, vt etiam verberibus subderetur, & in corpore suo stigmata Domini nostri Iesu Christi portaret. Nam & in Mediolanensi vrbe idoneus olim custos dominici gregis fuit, Arriano repugnans Auxentio, priusquam beatus eligeretur Ambrosius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publica & priuata disputatione lucratus in fide est. Sed neq; per vicos & castella diuersarum præteriens regionum, prædicare verbum Dei vnquam destitit fidelis Christi discipulus. *Colos. 2.* Arrianos acriter oppugnat, & ab illis verberatur.

IV. POST illos itaque circuitus animarum plurium salutares, Brixia eum rudis quondam, sed cupida doctrinæ, promeruit. Scientiæ quidem spiritalis ignara, studio tamen discendi laudabilis. Excidit continuo imis ab stirpibus horrentem syluis diuersi erroris bonus agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens, inuertit ciudam totis viribus terram, squallentemque humum sulcis assiduis in noualia fœcunda conuertit, affatim semina vitalium mandatorum gremio eius insinuans. Venit Brixiam.

V. PLANTAVIT quoque vineam, cum lætaretur ex fructu: quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agrestibus indidit oleastris, & asperitati pomorum syluestrium, germina pinguedinis ac suauitatis inseruit, vt haberet Apostolicus vir aliquem & in vobis fructum, sicut & in ceteris gentibus. Et iste quidem consummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur, nam dignus est operarius mercede sua: & laborantem agricolam oportet primo de fructibus sumere. Ego autem minima eius pars, omnibus votis exopto, vt agrum, bene à patre cœlitum, & non satis idonea successione susceptum, quoquomodo tueri præualeam. Zelum fidei eius, & magnitudinem laborum pauloante perstrinximus. *Psalm 103.* *Luc. 10.* *2. Tim. 2.*

VI. IAM reminiscamur, charissimi, vehemens ille ardor animi, quantam possederit in sanctis moribus leniratem: Illa celsitudo scientiæ, quanta fuerit humilitate sublimis: Illa cœlestium rerum peritia, quam fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, & acer diuini honoris exactor: non quærens quæ sua essent, sed quæ Iesu Christi. Amicitias sæculi & officia mundana contemnens, seruitio Dei iugiter adhærens, inter humana colloquia iugiter occupatus: nimirum Virtutes eius. *Phil. 2.* *Matth. 6.*